

decanus Misnensis a predicto domino cardinale ac episcopo Brixinense prememorate summe quattuor milium aureorum atque eius largitionis ac donationis in prefatam universitatem Lipsensem tum impendende ac iam impense verus legitimus ac indubitatus actor, curator, gestor ac procuratur sit constitutus, que litere cum in forma instrumenti publici una cum subscriptione ac signo notarii publici atque insuper sigilli prefati domini cardinalis ac episcopi Brixinensis appensione erant concepte ac munite, omni prorsus suspicione iure carere videbantur, quam relationem et exhibitionem sepredicti domini Iohannis Hennig decani Misnensis, supramemorati domini decanus ac ceteri doctores facultatis theologicæ digna gratiarum actione exceperunt, etiam atque etiam rogantes ac requirentes eundem dominum Iohannem Hennig decanum Misnensem, quoniam predictæ largitionis, donationis ac munificentie cardinalitæ fuisset et inceptor et perfector quo dignaretur clarius, expressius ac specialius exponere, enarrare atque explicare mentem, animum atque voluntatem sepius nominati domini cardinalis ac episcopi Brixinensis, pro quibus videlicet facultatibus voluisset eam summam ac predictorum quattuor milium florenorum perpetuos census ac redditus perpetuo impendi et erogari, ad quam predictorum dominorum decani ac ceterorum doctorum facultatis theologicæ requisitionem dictus dominus Iohannes Hennig decanus Misnensis specialiter magna et se digna testatione fortiter affirmans respondit, eum fuisse animum, voluntatem ac mentem sepredicti domini cardinalis ac episcopi Brixinensis sibi ab eodem serio esse mandatum ac iniunctum, prout et in litteris supramemoratis contineretur, ac viva voce et ex ore ipsius excepisset, quod ea summa quattuor milium aureorum ac ipsius summe redditus ac census proventusque perpetuo in nullum alium usum quam duarum facultatum, liberalium artium videlicet ac sacre theologie, atque earum dumtaxat duarum studiosis lectoribus et disputatoribus et nulli aliæ facultati nullisque lectoribus seu disputatoribus aliis quarumcunque aliarum facultatum in predicta universitate Lipsensi quocunque modo deberet conferri, attribui vel appropriari, artistas enim ac theologos solos voluisse sepredictum dominum cardinalem ac episcopum Brixinensem hac prerogativa atque eo largitionis munere ac dono frui et nullos preterea alios, prout etiam iam esset certa fundatione principalibusque litteris. De quo et supradictis omnibus ac singulis premissis ac specialiter super eo quod sepe nominatus dominus cardinalis ac episcopus Brixinensis sepe memoratam quattuor milium aureorum summam ac ipsius summe redditus perpetuos duobus tantum in predicta universitate Lipsensi facultatibus, artium scilicet ac sacre theologie, donasset ac appropriasset, supradicti domini de facultate theologica meliore via, iure, causa, modo et forma ut debuerunt et potuerunt publice protestati sunt ac super hiis omnibus ac singulis premissis sibi a me notario publico infrascripto unum vel plura, publicum seu publica petierunt fieri atque confici instrumentum vel instrumenta. Acta sunt et fuerunt hec loco, anno, indictione, die, mense ac pontificatu quibus supra, presentibus ibidem honorabili Arnaldo Wostefeldes artium magistro, clerico Moguntinensis diocesis, ac Christiano Westerburg laico Treverensis diocesis, testibus ad premissa specialiter vocatis ac rogatis.

Et ego Caspar Barth magister clericus Misnensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius, quia dicto dominorum theolo-